



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 149. Dicens: Tu es Rex Iudæorum? v. 11.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

O Iesu, Pilatus hic instruit omnes Iudices, & monet officii sui ut non tam facile credant referentibus, sed bene examinent, interrogent, ponderent dicta, verba, facta, antequam accedant ad iudicium & sententiam; id obsecro mihi detur à te, mi Iesu, ut nunquam simpliciter credam referenti maxime in iudicio. sed videam, interrogem, examinem, ipsemet graviter ac industriè causas fundamenta & rationes in omni negotio, antequam iudicem, vel sententiam pronuntiem, ne in extremo iudicio tanquam levis & iniquus Iudex à te merear & iudicari & damnari.

§. 149. *Dicens: Tu es Rex Iudaorum? v. 11.*

Prudenter Pilatus interrogat Christum super una hac quæstione decerpta ex accusationis Iudaicæ multis capitibus, tanquam eâ, quæ cæterarum omnium anima esset & caput, nimirum. *An ipse esset Rex Iudaorum*, hæc enim maxime spectabat ad suum Præsidis officium ne Rex proclamaretur in Iudæa, alius quàm Cæsar Romanus. vellet devictis enim per Pompeiû Iudæi Romani supremum ius in regione eorum obtinebant, quorum vicarium Pilatus eo tempore agebat, & quidem Tiberii Cæsaris qui immediatus erat Iudææ Dominus, ex quo Archelaus ante xx. annos Tetrarcha Judææ, relegatus erat in exilium, & opes eius per Sulpicium Quirinium, teste Iosepho Iudæo, in fiscum Cæsaris erant redactæ. Itaque salvo jure Cæsaris nulli licebat temporale Regnum in Iudææ parte illa occupare. ideo hanc quæstionem urget & interrogat: *An vere sit Rex Iudaorum?* an se pro tali habeat & æstimerent pro munere suo in tempore adverteret. & sane admiratione non caret, quod Pilatus in re tanti momenti non agat ferventius, zelosusque. ita ut videatur valde vel domitas habuisse passiones, vel iam ante de Christi persona & regno aliquo Metaphorico instructus fuisse: utinam agnosceret illum, & regnum eius, cuius certè finis non est alius, quam ut omnes Iudæi & gentiles & ego miser felices essemus. quam conatemur ei servire? ut cum eo esse, & aliquando regnare, & cum eo gloriari possemus. Vere enim ei servire regnare est, quia ibi omnia iucunda semper & lata, erunt omnia nobis ad nutum & desiderium æternum.

O Mi Iesu ad tuum quæso regnum me perducas, te enim Regem meum, & Deum meum, & Dominum totius mundi & cæli agnosco & adoro. tibi igitur me devoeo semper & irrevocabiliter, tibi servire desidero, ut illam mercedem regni tui habere quandoque possim.

§. 150. *Dicit illi Iesus: Tu dicis. v. 12.*

Quasi replicaret Christus, Pilate quod dicis interrogativè *Tu es Rex Iudaorum*, verum dicis pronuntiativè, Rex sum etenim natura, consenta Iudæo.